



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Plures esse reprobos, quam prædestinatos. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Plures esse reprobos, quam prædestinatos.

turo contingent, & prout euentus ille solum ad proprias causas refertur; nam prout est in æternitate, vel scientiæ Dei subest, non dubitat ille, hæc propositiones esse determinate veras, vel determinate falsas; & de aliquo prædestinato verum esse, quod saluabitur; de alio autem, quod damnabitur, sumendo non prædestinatum, prout ipse distinguit ab eximie prædestinatis, & electis, & vidimus disputatione 90. alioqui quomodo hos vocaret saluandos, seu damnandos, si neque in re neque in præscientia Dei verum esset, eos esse saluandos, aut damnandos.

Refellitur.

10.

Hæc tamen doctrina, præterquam quod falso ignitur fundamento, cum distinguit inter saluandos, & prædestinatos, vt ibidem ostendimus: alia quoque ratione vera non est. Nam quamvis liberum sit prædestinatio damnari, & damnando saluari libertate antecedenti ex parte causæ; tum quia nullus eligitur ante omnia opera ad vitam æternam, vt disput. 89. & 90. monstratum est; tum etiam quia nullus tali gratia excitatur, cui non possit resistere vt disput. 90. & disput. 98. diximus: omnis tamen propositio de futuro contingent, & libero, ea etiam ratione, qua refertur ad propriam causam, est determinate vera, vt fufius ostendimus disputat. 66. cap. 2. Illæ igitur duæ propositiones de quocunque singulariter enunciantur, sunt determinate veræ; vel sunt determinate falsæ. Nam si in vniuersum sumantur, vtrique est falsa; si autem vage, vtrique est vera. Neque enim omnis non prædestinatus saluabitur, neque omnis condemnabitur, si non prædestinatus dicatur in sensu Catherini: hic enim non prædestinatum appellat tam saluandum, quam damnandum, vt dictum est, sed aliquis saluabitur, aliquis vero damnabitur.

3. Pars sent. Cather.

Sibi non coheret.

11.

Alexand. Gabr. Gregor. Maior. Marfil.

Postremo asserit Catherinus, hanc propositionem: Reprobis necessario damnabitur, esse veram. Reddit vero rationem, quia reprobos, prout reprobos supponitur vique in finem vitæ in culpa futurus: hac vero facta suppositione non subest illi non damnari. Subiungit etiam hanc propositionem esse veram, Præscitis saluari saluabitur: non tamen hanc. Præscitis saluari, necessario saluabitur: Verum hæc duo, quæ docet Catherinus, non satis secum coherent. Nam eadem necessitate, & non alia necesse est reprobos damnari, & saluandum saluari. Ea vero est necessitas consequens, qua dicitur, futurum necessario est futurum, cum qua recte constat libertas, ita vt ille, de quo dicimus, saluabitur, vel condemnabitur, libere saluetur, aut condemnetur. In omnium ergo opinione hæc debet concedi, Prædestinatus necessario saluabitur & reprobis aut præscitis condemnabitur. Ita concesserunt Alex. 1. p. qu. 28. m. 4. a. 3. Gabriel in primum d. 40. art. 2. q. 1. Greg. 9. 1. a. 3. Maior q. vnica, Marfil. in 1. q. 41. art. 1. corollat. 1. & seq. cum asserunt, in sensu composito hanc esse veram. Prædestinatus, aut saluandus non potest damnari, seu necessario saluabitur, & hanc similiter. Reprobis, aut præscitis necessario damnabitur, & non poterit saluari. Cæterum ut horum sententia vera sit, non debent concedere, neque ex suppositione, nec in sensu composito necessitatem, aliquam præcedentem, sed solum sequentem, vt ex antea dictis disputatione 68. satis perspicuum est.

MAiorem esse numerum absolute reprobos, & eorum, qui damnantur, quam prædestinatorum, & eorum, qui saluantur, ex Scriptura liquido constat Matth. 7. *Arcta est via, que ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur per eam: & alibi sæpenumero.* De fidelibus tamen est dubitatio: An maior eorum pars damnetur. Sunt vero, qui dicit arbitrantur plures ex fidelibus saluari, quia plures receptis Ecclesiæ Sacramentis ex hac vita decedunt, de quibus probabiliter credimus, maiorem eorum partem saluari. Idque confirmat parabola illa Matth. 12. in qua ex omnibus inuitatis ad nuptias, quibus fideles significantur, vnus tantum inuentus est, non habens vestem nuptialem.

Alij vero putant maiorem quidem partem fidelium damnari, quibus fauet Gregorius Homil. 19. super Euangelia in illa verba Matthæi 2. & 22. *Pauci vero electi*, vbi ait, multos recipere fidem, sed paucos saluari. Accedit etiam Augustinus libro 2. contra Cresconium capite 66. & libro 4. cap. 53. vbi congregacionem totam fidelium comparat aræ, in qua simul sunt paleæ, & grana; sed maior est multitudo palearum: palea autem significat eos, qui vt comburantur, igni sunt destinati, iuxta illud Matth. 3. & Luc. 3. *Quis ventillabit arcam suam (scilicet Christi) & permundabit arcam suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Id ipsum indicat illa parabola sementis Luc. 8. quæ cum in 4. partes esset diuisa, vna tantum fructificauit. Ea vero parabola significauit Christum prædicationem Euangelij, & quid discipulis suis prædicantibus euenturum erat, constat autem omnes quatuor partes fuisse receptas in aliqua terræ parte, quo deponatur fides prædicationis recepta ab auditoribus. Sed cum vna tantum fructum dederit, indicare videtur pauciores ex fidelibus esse saluandos. Huic sententiæ ad stipulat Lyranus, & Glossæ in linealibus in illa loca Matthæi. Ego tamen potius hæc omnia iudicio Dei relinquenda esse censeo, quam quidquam temere definiendum; sicut & illud, vtrum sit maior numerus hominum prædestinatorum, quam Angelorum, an non: vel eo præsertim, quod huiusmodi controuersie nos multum ad ædificationem fidelium pertineant. Et hæcenus de hac tota questione de prædestinatione dixisse, sufficiat.

QVÆSTIO XXIII.

De libro vitæ.

DEinde considerandum est de libro vitæ. Et circa hoc quaeruntur tria.

ART.

Utrum liber vitæ sit idem, quod prædestinatio.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod liber vitæ non sit idem, quod prædestinatio. Dicitur enim Ecclesi. 24. Hæc omnia liber vitæ. Glossa. Id est, nouum, & vetus testamentum. Hoc autem non est prædestinatio. Ergo liber vitæ non est idem quod prædestinatio.

2. Præterea August. in lib. 20. de Ciui. dei ait, quod liber vitæ est quædam vis diuina qua fiet, vt cuiusque opera sua bona vel mala in memoriam reducantur. Sed vis diuina non videtur pertinere ad prædestinationem, sed magis ad tributum potentie. Ergo liber vitæ non est idem quod prædestinatio.

3. Præterea. Prædestinationi opponitur reprobatio. Si igitur liber vitæ esset prædestinatio, inueniretur liber mortis, sicut liber vitæ.

Sed contra est, quod dicitur in glossa super illud Psalmus 68. Deleantur de libro viuentium. Liber iste est notitia Dei, qua prædestinauit ad vitam quos præsciuit.

Respondeo dicendum, quod liber vitæ in Deo dicitur metaphorice secundum similitudinem à rebus humanis acceptam. Est enim consuetum apud homines, quod illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribantur in libro: vt pote milites vel consiliarij, qui olim dicebantur Patres conscripti. Patet autem ex præmissis, quod omnes prædestinati eliguntur à Deo ad habendam vitam æternam. Ipsa ergo prædestinatorum conscriptio dicitur liber vitæ. Dicitur enim metaphorice aliquid conscriptum in intellectu alicuius, quod firmiter in memoria tenet, secundum illud Prouerbiorum tertio. Ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat. Et post pauca sequitur. Describe illa in tabulis cordis tui. Nam & in libris materialibus aliquid conscribitur ad succurrendum memoriæ. Vnde ipsa Dei notitia, quia firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, dicitur liber vitæ. Nam sicut scriptura libri est signum eorum, quæ fienda sunt, ita Dei notitia est quoddam signum apud ipsum eorum, qui sunt perducendi ad vitam æternam, secundum illud 2. Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus, qui sunt eius.

Ad primum ergo dicendum, quod liber vitæ potest dici dupliciter. Vno modo

Vasquez in 1. part. Tom. 1.

do conscriptio eorum, qui sunt electi ad vitam, & sic loquimur nunc de libro vitæ. Alio modo potest dici liber vitæ conscriptio eorum, quæ dicunt in vitam, Et hoc dupliciter. Vel sicut agendorum, & sic nouum & vetus Testamentum dicitur liber vitæ, vel sicut iam factarum, & sic illa vis diuina, quæ fiet, vt cuiuslibet in memoriam reducantur facta sua, dicitur liber vitæ. Sicut etiam liber militiæ potest dici, vel in quo scribuntur electi ad militiam, vel in quo traditur ars militaris, vel in quo recitantur facta militum. Vnde patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod non est consuetum conscribi eos, qui repudiatur, sed eos, qui eliguntur. Vnde reprobationi non respondet liber mortis, sicut prædestinationi liber vitæ.

Ad quartum dicendum, quod secundum rationem differt liber vitæ à prædestinatione. Importat enim notitiam prædestinationis, sicut etiam ex glossa induta apparet.

Explicatio articuli.

Conclusio est. De notitia, qua firmiter retinet, se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, est liber vitæ. Ex qua constat S. Thom. directe non respondisse questioni. Nec enim in toto art. quidquam aliud definit: ex ea tamen non obscure colligitur, librum vitæ non esse prædestinationem ipsam, etiam in Schola S. Thom. qui putat, prædestinationem esse actum intellectus. Nam ipse, & qui eius sequuntur sententiam, sentiunt prædestinationem esse actum intellectus practici per modum imperij, qui præcedit res futuras, & scientiam speculatricem illarum. Liber autem vitæ ex mente Doctoris Sancti, vt ex conclusione articuli liquet, est actus intellectus speculatiui, quatenus ad memoriam refertur, & ratio idem probat: nam per translationem dicitur res aliqua in intellectu alicuius esse descripta, non prout intellectus imperio suo est principium illius, sed prout memoria retinetur: memoria autem non est actus practicus, sicut in sententia S. Thom. est prædestinatio, & imperium, sed speculatiuus.

ARTICVLVS II.

Utrum liber vitæ sit solum respectu vitæ gloriæ prædestinatorum.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod liber vitæ non sit solum respectu vitæ gloriæ prædestinatorum. Liber enim vitæ est notitia vitæ. Sed Deus per vitam suam cognoscit aliam vitam. Ergo liber vitæ præcipue dicitur respectu vitæ diuinæ, & non solum respectu vitæ prædestinatorum.

2. Præterea. Sicut vita gloriæ est Deo, ita vita naturæ. Si igitur notitia vitæ gloriæ dicitur liber vitæ: etiam notitia vitæ naturæ dicitur liber vitæ.

Et 11 3

3. Præ-

148.
Videtur quod 7. art.
5 6. & 7.
2. diff. 31.
9. 2. art. 2. q. 1.

149.
Liber vitæ
videtur.

Artic. præc.

3. Præterea. Aliqui eliguntur ad gratiam, qui non eliguntur ad vitam gloriæ, ut patet per id quod dicitur Ioan. 6. Nonne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Sed liber vitæ est cōscriptio electionis diuinæ, ut dictum est. Ergo etiam est respectu vitæ gratiæ.

Artic. præc.

Sed contra est, quod liber vitæ est notitia prædestinationis, ut dictum est, sed prædestinatio non respicit vitam gratiæ nisi secundum quod ordinatur ad gloriam. Non enim sunt prædestinati qui habent gratiam, & deficiunt à gloria. Liber igitur vitæ non dicitur nisi respectu gloriæ.

Artic. præc.

Respondeo dicendum, quod liber vitæ, ut dictum est, importat cōscriptiōnem quandam sine notitiā electorum ad vitam. Eligitur autem aliquis ad id quod non competit sibi secundum suam naturam. Et iterum ad id quod eligitur aliquis, habet rationem finis. Non enim miles eligitur aut cōscribitur ad hoc, quod armetur, sed ad hoc quod pugnet: hoc enim est proprium officium, ad quod militia ordinatur. Finis autem supra naturam existens, est vita gloriæ, ut supra dictum est. Vnde proprie liber vitæ respicit vitam gloriæ.

23. arti.

Ad primum ergo dicendum, quod vita diuina etiam prout est vita gloriosa; est Deo naturalis. Vnde respectu eius non est electio & per consequens neque liber vitæ. Non enim dicimus quod aliquis homo eligatur ad habendum sensum, vel aliquid eorum, quæ consequuntur naturam. Vnde per hoc etiam patet solutio ad secundum. Respectu enim vitæ naturalis non est electio neque liber vitæ.

Ad tertium dicendum, quod vita gratiæ non habet rationem finis, sed rationem eius, quod est ad finem. Vnde ad vitam gratiæ non dicitur aliquis eligi, nisi in quantum vita gratiæ ordinatur ad gloriam. Et propter hoc illi qui habent gratiam, & excidunt à gloria, non dicuntur esse electi simpliciter, sed secundum quid. Et similiter non dicuntur esse scripti simpliciter in libro vitæ, sed secundum quid: prout scilicet, de eis in ordinatione & notitia diuina existit, quod sint habituri aliquem ordinem ad vitam æternam secundum participationem gratiæ.

Conclus.
S. Thom.

Explicatio articuli.

Cōfirmatur.

Conclusio est. Liber vitæ dicitur potius vita gloriæ, quam vita gratiæ. Pro huius explicatione observandum est, hic non comparari vitam gloriæ cum morte æternæ inferni, cum quaeritur, an sit liber vitæ gloriæ, sed cum vita gratiæ, quæ est medium ad vitam gloriæ. Respondet autem S. Thom.

potius dici librum vitæ gloriæ, quam gratiæ, desumpta analogia ex libro militiæ, in quo non dicuntur milites scribi, aut eligi, ut armentur, sed ut pugnent, hic enim est finis militiæ; ita ergo & prædestinati non dicuntur scribi in lib. vitæ, & ut iustificentur: iustificatio enim medium est, sed ut glorificentur: gloria enim finis est, ad quem eliguntur, & cōscribuntur. Superiori autem art. in solutione secundi dixerat S. Thom. præscientiam Dei non consueuisse appellari librum mortis, & reprobatorum, sed solam vitæ, & prædestinatorum, desumpta etiam metaphora ex humanis. Nam illi, qui reiciuntur à malitia, in aliquo libro non scribuntur. Ideo ergo neque reprobi dicuntur esse in præscientia Dei, tanquam in libro mortis, & damnationis.

Basiliius tamen in quartum cap. Isaia in illa verba, *Erit, quod relictum fuit*, ait, duos esse libros, alterum viuientium, hoc est, prædestinatorum, in quo sunt scripti discipuli Christi quibus ipse dicitur Luc. 10. *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in caelis*, alterum eorum, qui damnantur, iuxta illud Ierem. 17. *Recedentes à te in terra scribentur*. Idem sentit Nazian in orat. 9. quæst. ad Iulianum trinitarium ex quatuor num. 41. ubi ait, ad ipsam, *Nisi forte de quodam perentium libro nihil vnquam audisti, illic quos scribemur, vel ut rectius dicamus, iam inscripti sumus*. Vt quamuis non distinguat duos libros, dicit tamen esse vnum, in quo tam qui saluantur, quam qui damnantur, scribuntur. Et quidem quamuis non scribantur milites, qui eiiciuntur à militia, quia tamen scribi consueuerunt, qui morte damnandi sunt, alter quoque liber reprobatorum non inepte in Deo potest constitui.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquis deleatur de libro vitæ.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod nullus deleatur de libro vitæ. Dicit enim August. in 20. de ciuit. Dei, quod præscientia Dei, quæ non potest falli, liber vitæ est, sed à præscientia Dei non potest aliquid subtrahi, nec de libro vitæ potest aliquid deleri.

2. Præterea. Quicquid est in aliquo, est in eo per modum eius in quo est: sed liber vitæ est quid æternum, & immutabile. Ergo quicquid est in eo, est ibi non temporaliter, sed immobiliter & indelebiter.

3. Præterea. Delectio Scripturæ opponitur. Sed aliquis non potest de nouo scribi in libro vitæ. Ergo neque inde deleri potest.

Sed contra est quod dicitur in Psal. 68. *Deleantur de libro viuientium*.

Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, quod de libro vitæ nullus potest deleri secundum rei veritatem, potest tamen aliquis deleri secundum opinionem hominum. Est enim consuetum in scripturis ut aliquid dicatur fieri quando in-

notetur.

notescit, & secundum hoc aliqui dicuntur esse scripti in libr. vitæ, in quantum homines opinantur eos ibi scriptos propter presentem iustitiā quam in eis vident. Sed quando apparet & in hoc sæculo vel in futuro, quod ab hac iustitiā exciderunt, dicuntur inde deleri. Et sic etiam exponitur in gloss. deletio talis, super illud Psalm. 68. deleantur de libr. viventium. Sed quia non deleri de libr. vitæ ponitur inter præmia iustorum secundum illud Apocal. 3. Qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libr. vitæ (quod autem sanctis repromittitur, non est solum in hominum opinione) potest dici, quod deleri, vel non deleri de libr. vitæ, non solum ad opinionem hominem referendum est, sed etiam quantum ad rem. Est enim liber vitæ conscriptio ordinatorum in vitam æternam. Ad quam ordinatur aliquis ex duobus, scilicet, ex prædestinatione diuina, & hæc ordinatio nunquam deficit, & ex gratia. Quicumque enim gratiam habet, ex hoc ipso est dignus vita æterna. Et hæc ordinatio deficit interdum, quia aliqui ordinati sunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam, aqua tamen deficiit per peccatū mortale. Illi igitur qui sunt ordinati ad habendum vitam æternam ex prædestinatione diuina, sunt simpliciter scripti in libr. vitæ: quia sunt ibi scripti vt habituri vitam æternam in seipsa, & isti nunquam delentur de libr. vitæ. Sed illi qui sunt ordinati ad habendum vitam æternam, non ex prædestinatione diuina, sed solum ex gratia, dicuntur esse scripti in libr. vitæ, non simpliciter, sed secundum quid: quia sunt ibi scripti vt habituri vitam æternam non in seipsa, sed in sua causa. Et tales possunt deleri de libr. vitæ, vt deletio non referatur ad notitiam Dei, quasi Deus aliquid præsciat, postea nesciat, sed ad rem scitam: quia scilicet Deus scit, aliquem prius ordinari in vitam æternam, & postea non ordinari, cum deficit à gratia.

Ad primum ergo dicendum, quod deletio (vt dictum est) non refertur ad librum vitæ ex parte præscientiæ, quasi in Deo sit aliqua mutabilitas, sed ex parte præscitorum quæ sunt mutabilia.

Ad secundum dicendum, quod licet res in Deo sunt immutabiliter, tamen in seipsis mutabiles sunt. Et ad hoc pertinet deletio libri vitæ.

Ad tertium dicendum, quod eo modo quo aliquis dicitur deleri de libr. vitæ, potest dici, quod ibi scribatur de nouo, vel secundum opinionem hominum, vel

secundum quod de nouo incipit habere ordinem ad vitam æternam per gratiam. Quod etiam si sub diuina notitia comprehenditur, licet, non de nouo.

Observationes circa articulum.

Conclusio est. *Aliqui delentur de libro vitæ non secundum notitiam Dei sed secundum aliquem affectum gratiæ.* Eam vero optime explicat Caietan. in Commentario, ita vt deleri de libro vitæ secundum notitiam, nihil aliud sit, quam id, quod antea à Deo præsciebatur, non præsciri: cumque scientia Dei variari nequeat, vt qu. artic. 14. art. 15. dictum est; consequitur, neminem deleri de libro vitæ secundum notitiam. Deleri autem de libro vitæ secundum aliquem effectum gratiæ, idem est, quod amittere gratiam, qua pertinebat homo ad statum gloriæ. Quocirca, qui amittit caritatem, dicitur quodammodo deleri de libr. vitæ, qui enim secundum presentem iustitiam pertinebat ad gloriam, postea per peccatum fit reus damnationis.

Verum contra conclusionem sunt tria loca Scripturæ difficilia. Primus est Exodi 32. vbi Moyses ita orauit Dominum, *Aut dimitte noxam populi huius aut dele me de libro vitæ, quem scripsisti.* Verum cum hunc locum varie exponant Doctores, nullo modo ex illo probari potest, aliquem deleri de libr. notitiæ Dei. Prima expositio est quorundam, qui dixerunt, Moysen perturbatione animi commotum, illud dixisse: eos tamen merito reprehendit Lyranus: nam de Moysse viro sanctissimo, & admodum mansueti talis animi perturbatio præsumenda non est.

Secunda interpretatio est Burgenfis in additione illius loci, qui lib. vitæ interpretatur, non Dei notitiam, sed librum, in quo gesta insignium virorum populi Israel describebantur: quem appellat librum iustorum: huic interpretationi fauet Hilarius in Psalm. 63. in illa verba, *Deleantur de libro viventium.* Ceterum Turingus in replica contra additionem Burgenfis eam acriter reprehendit, probans ex contextu de libro prædestin. Moysen fuisse loquutum. Nam statim Dominus respondit hæc verba: *Non, sed, qui peccauerit, delebo eum de libro meo:* quasi dicat, illum solum delebo de libro prædestin. Meo tamen iudicio hoc non obstat, quo minus sensus Burgenfis literæ quadrare possit. Nam quamuis Moyses petiisset deleri de libr. virorum illustrium Israel, bene respondisset Dominus, neminem delendum esse de libr. nisi qui peccatis suis id fuisset promeritus.

Tertio eundem locum exponunt Lyranus, & Dionys. Carthus., ita vt hoc Moyses postulauerit secundum partem inferiorem, qua ostendebat affectum erga populum suum; vel ita, vt ex nimio affectu desiderauerit Moyses, si fieri posset, deleri de libr. vitæ, & gloria privari sine sua culpa, vt ignosceret Deus peccata populi sui.

Quarto demum Aug. q. super Exod. 247. existimat Moysen à Domino postulasse, deleri de libr. vitæ, aut dimittendam esse noxam populi: quia sicut non timebat se delendum esse, ita etiam absque hæsitacione confidebat dimittendum esse à Domino peccatum sui. Ex quibus interpretationibus illa, quæ est Burgenfis secundo loco allata, mihi maxime probatur.

De potentia Dei.

Iuxta divisionem traditam qu. 3. post tractationem de scientia, & voluntate Dei; iam de potentia, qua extra se producit omnia præter peccatum, iure optimo discessit S. Thom. hæc enim, ut disp. sequ. probabitur ad intellectum, & voluntatem etiam refertur, sicut prædilectio.

ARTICVLVS I.

Verum in Deo sit potentia.

AD primum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sit potentia. Sicut enim prima materia habet ad potentiam, ita Deus, qui est agens, primum se habet ad actum. Sed prima materia secundum se considerata, est absque omni actu. Ergo agens primum, quod est Deus, absque potentia.

2. Præterea. Secundum Philosophum in 1. Meta. qualibet potentia, melior est eius actus. Nam forma est melior quam materia, & actio quam potentia actiua. Est enim finis eius. Sed nihil est melius eo quod est in Deo: quia quicquid est in Deo, est Deus, ut supra ostensum est. Ergo nulla potentia est in Deo.

3. Præterea. Potentia est principium operationis. Sed operatio diuina est eius essentia, cum in Deo nullum sit accidens. Essentia autem diuina non est aliquod principium. Ergo nulla potentia est in Deo.

4. Præterea. Supra ostensum est, quod scientia Dei & voluntas eius sunt causa rerum. Causa autem & principium idem sunt. Ergo non oportet in Deo assignare potentiam, sed solum scientiam & voluntatem.

Sed contra est, quod dicitur in Psal. 88. Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.

Respondeo dicendum, quod duplex est potentia, scilicet passiuæ, quæ nullo modo est in Deo, & actiuæ quam oportet in Deo summe ponere. Manifestum est enim, quod vnumquodque secundum quod est actu & perfectum, secundum hoc est principium actiuum alicuius. Patitur autem vnumquodque secundum quod est deficiens & imperfectum. Ostensum est autem supra, quod Deus est purus actus & simpliciter & vniuersaliter perfectus, neque in eo aliqua imperfectio locum habet. Vnde sibi maxime competit esse principium actiuum, & nullo modo patet. Ratio autem actiui principij conuenit potentia actiuæ. Nam potentia actiuæ est

Ad Rom. 9.
Secundo obicitur locus Pauli.
prima interpretatio.
Origenes.
Chrysost.
Theophyl.
S. Thomas.

18.

Anselm.
Secunda interpretatio.

Hierom.

Terra præfata.
reuda.
Hieron.
Anselm.
Caietan.
Camarar.

Contextus
cognatus.

19.

Tertia obicitur loc. 4.
Psal. 68.
S. Thom.
Augustin.
Cassiodor.
Cassian.
August. & aliorum.

Alter Hieronymi & Hilarij.

20.

Secundus locus est ad Rom. 9. ubi de se Paulus ait: *Optabam ego, anathema esse pro fratribus meis.* Quem varie etiam explicant Doctores. Primo Orig. Chrysost. Theophyl. & S. Tho. in commentariis illius: dicunt præteritum imperfectum, *Optabam*, usurpari pro perfecto futuro, *Optauerim*, quo explicat Paulus affectum, quem tunc habebat, ut esset anathema Christo pro fratribus; hoc est, si posset fieri sine culpa, Christi fruitione priuatus. Idcirco notat Orig. hæc verba dixisse Paulum deuotione animi, non præuacuatione, ut ita ostenderet affectum, quo populum suum prosequabatur. Secundo exponit Anselm. ut anathema idem sit, quod mors; quasi Paulus optaret mori pro fratribus suis: quam interpretationem sumpsit ex Hieron. in epist. ad Algasiam, quæ est 151. qu. 9. Obstat tamen, quod Paulus adductus à Christo anathema enim à Christo non mortem corporalem, sed spirituales significat.

Sed his præferenda videtur expositio Hieronymi. Ansel. & Caiet. in eum locum; quos sequitur Bartholomæus Camerarius in *Dialogo Catholico* cap. 6. ut Paulus loquatur de tempore quo erat in Iudaismo, & tanto zelo, & amore prosequabatur populum Israel, & antiquæ legis, & ceremonias contra Christi Evangelium, ut cuperet tunc anathema esse, & omnino separatus à Christo pro fratribus suis; hoc est, ut fratrum suorum Iudeorum leges tueretur. Hic autem sensus recte coheret cum præcedentibus, & sequentibus: nam cum ca. præced. Paulus multa cum iniuria Iudeorum dixisse videretur, quæ re vera non dixerat ex malevolentia, & in eo capite iterum de eorum reprobatione dicturus esset, ut hanc animi sui sinceritatem ostenderet, sub iuramento affirmauit, se magno dolore torqueri, quod videret Iudeos eiectione esse à gratia Dei: & in eius confirmationem adduxit naturalem affectum, quo suam gentem, & ceremonias prosequabatur, cum erat in Iudaismo, verbi Pauli sunt. *Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto; quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordis meo.* Quibus sub iuramento asseuerat, se magno dolore angere, quod videat fratres suos expulso à gratia Evangelij. Confirmat deinde ex affectu, quo illos semper prosequutus fuerat, dicens, *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.*

Tertius locus est Psalmus 68. quem allegati S. Tho. in argument. sed contra: *Deleantur de libro viventium, & cum iustus non scribantur.* Huius autem duplex est expositio, altera est Aug. Cassiod. & Glossæ ordinaria in eum locum, ut illud deleantur, accipiat non absolute, sed secundum spem, & opinionem eorum, & sensus sit innotescat illis, se non esse scriptos in libro vitæ Dei, qui putabant se in eo signatos esse: quia secundum phrasim Scripturæ nonnunquam dicitur tunc res fieri, quando innotescit. Altera interpretatio Hilarij & Hieron. ut verbum *Deleantur* idem significet, quod non scribantur, vel non sint scripti. Quæ interpretatio sequentibus verbis optime quadrat, subiungitur enim, & cum iustus non scribantur. S. Thom. non responderet argumento, sed contra ex doctrina tamen articuli colligitur, quid dicendum sit. Nam cum secundum aliquem effectum gratiæ deleri quis dicatur de libro vitæ, recte postulat David, *Deleantur de libro viventium*, dum illa propter ipsorum peccata, malum imprecatur.

principium agendi in aliud, potentia vero passiva est principium patendi ab alio, vt Philosophus dicit 5. Meta. Relinquitur ergo, quod in Deo maxime sit potentia actiua.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia actiua non diuiditur contra actum, sed fundatur in eo. Nam vnumquodque agit secundum quod est actus, potentia vero passiva diuiditur contra actum. Nam vnumquodque patitur secundum quod est in potentia. Vnde hæc potentia excluditur à Deo, non autem actiua.

Ad secundum dicendum, quod quandoque actus est aliud à potètia, oportet quod actus sit nobilior potentia. Sed actio Dei non est aliud ab eius potentia, sed vtrumque est essentia diuina: quia necesse eius est aliud ab eius essentia. Vnde non oportet quod aliud sit nobilius, quam potentia Dei.

Ad tertium dicendum, quod potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus. Sic igitur in Deo saluatur ratio potentie quantum ad hoc, quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc, quod est principium actionis, quæ est diuina essentia: nisi forte secundum modum intelligendi, prout diuina essentia (quæ in se simpliciter præhabet quiddam perfectionis est in rebus creatis) potest intelligi, & sub ratione actionis, & sub ratione potentie: sicut etiam intelligitur, & sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione nature. Sic igitur in Deo saluatur ratio potentie, quantum ad hoc, quod est principium effectus.

Ad quartum dicendum, quod potentia non ponitur in Deo vt aliquid differens à scientia, & à voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit. Quæ tria Deo secundum idem conueniunt. Vel dicendum quod ipsa scientia, vel voluntas diuina secundum quod est principium effectuum, habet rationem potentie. Vnde consideratio scientie & voluntatis præcedit in Deo considerationem potentie, sicut causa præcedit operationem & effectum.

Notatio circa articulum.

Conclusio est, In Deo est potentia actiua. Præter multa quæ observatione digna erant, circa tertium S. Tho. vnum tantum placuit adnotare, cetera namque in disp. sequi explicari necesse erit. Illud autem est, mentem ipsius in hac questione solum esse, disputare de potentia, qua Deus extra

se producit effectus, tamen si de potentia ad operationes immanentes non nihil etiam in hoc articulo tradat, vt in seq. disp. referemus. De potentia autem generandi Filium, & Spiritum sanctum differit quæst. 41.

DISPUTATIO CII.

An potentia Dei aliquo modo ab eius scientia, & voluntate, differat.

Status controuersie, cap. 1.

Quid senserit Durandus, cap. 2.

Potentiam in Deo formaliter esse scientiam, & voluntatem verior opinio fert, cap. 3.

Quomodo potentia in Deo sit scientia, & intellectus, cap. 4.

Respondetur argumentis Durandi, cap. 5.

Explicatur doctrina S. Thom. in solutionibus argumentorum, cap. 6.

CAPVT I.

Status controuersie.

Cum inquitur de potentia Dei, quidnam sit, non de potentia patiente, sed de agente intelligimus. Certum enim est, vt docet S. Thom. in hoc art. potentiam patientem in Deo non esse, vt ex q. 3. de simplicitate Dei, & qu. 9. de immutabilitate perspicue colligitur. De potentia autem Dei agente duo extra controuersiam sunt vnum est, non esse veram potentiam agentem in Deo comparatione actionum immanentium, quæ sunt communes Trinitati, vt intellectus, & volitionis. Nam quamuis inter S. Tho. & eius Scholam ex vna parte, & Scotum, eiusque discipulos ex alia quæstio sit, vtrum in Deo intellectus distinguatur ab intellectu & voluntas à volitione ex natura rei non solum per intellectum nostrum, cum in vniuersum de attributorum distinctione inter se, & ab essentia non eodem modo sentiant, vt disp. 116. videbimus: nullus tamen est, qui doceat has actiones immanentes in Deo esse veras productiones procedentes ab intellectu, & voluntate ex natura rei: sic enim necessarium quodque esset fateri in Deo processiones essentielles, & communes tribus personis; ex quo etiam sequeretur, plures esse personas, quam tres, imò in infinitum multiplicari. Cum igitur, vt concedamus aliquam potentiam producentem ex natura rei, necesse etiam sit, ei tribuere productiones, quæ non solum nostro modo intelligendi, sed etiam suapte natura productio sit, & nullus Scholasticorum hæcenus dixerit, Deo esse communes illas productiones per intellectum, & voluntatem, quas essentielles operationes vocamus; sit, vt nullus doceat, in Deo esse ex natura rei potentiam agentem intellectus ad intelligendum, & voluntatis ad volendum communem tribus personis; tamen aliqui Scholastici fateantur potentiam agentem in Patre ex natura rei ad generandum: in Patre autem, & Filio potentiam producentem eodem modo ad spirandum, de quibus disputat. 164. dicendum est. Itaque ad operationes immanentes communes & essentielles solum debemus concedere potentias agentes nostro modo intelligendi; hoc est, potentias, quæ à nobis concipiuntur, per modum agentis, & elicientis, licet re ipsa nihil producant. Hoc autem intelligendum est

sine